



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. II. Circa timorem damnationis ad mortem incurrendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

§. II.

Tentatio II. circa timorem damnationis ad mortem incurrenda.

CXXV. **S**empronius homo plebejus & Pauper
 Sob varia furta in carcerem conjectus
 adeò per timorem damnationis ad mortem incur-
 rendæ cruciatur, & angitur, ut neque comedere, ne-
 que dormire possit, imò in insaniam propè adigatur,
 quare Pastor ad ipsum vocatur, rogaturque, ut timo-
 rem hunc, si non omnino eximere, cerè lenire conetur,
 & temperare. Quæritur, quâ ratione hoc præstare
 debeat?

Responsio.

CXXVI. Inprimis illi ostendat, quàm inutilis &
 imprudens sit hic timor; vel enim sequeretur damna-
 tio, quam timet; vel non sequeretur; si non sequatur,
 frustra se cruciat timore mali, quod non eveniet;
 si autem secutura sit damnatio, tum saltem ante tem-
 pus imprudenter se affligit imaginatione illius, do-
 ploque gravius, & diuturnius sibi reddit supplicium.
 Horretur ergo, ut potiùs sequatur exemplum Chris-
 sti, nunquam ob passionem suam, licet bene præ-
 visam, tristati, donec tempus patiendi advenerit. Dicat
 proin cum eodem: *Pater mi, si possibile est, transi-
 seat à me calix iste, verumtamen non mea, sed tua
 voluntas fiat.*

CXXVII. Persuadeat illi, Magistratum nihil de-
 creturum, nisi quod jam ab ipsa usque æternitate in
 divino, justissimòque cœli consistorio conclusum est;
 que

quæ proin sententia cum ex una parte immutabilis; ex altera parte autem summa cum sapientia ac bonitate concepta sit, decet, ut summa quoque cum reverentia, animique tranquillitate excipiat, illudque cum Heli affiduo reperatur: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat.*

CXXVIII. Tertio firmissimè ipsum credere jubet, DEUM, qui fidelis est, & neminem tentari aut onerari supra vires patitur, ipsi perinde, ac olim SS. Martyribus, adstitorum auxilio suo, effectumque, ut magnâ animi æquitate, constantiâque id omne, quod per Magistratum decreturus est, sustinere possit, id quod ipse haud dubiè in aliis extremo supplicio affectis non semel factum viderit.

CXXIX. Quarto denique meminisse ipsum jubet, quodcunque supplicium decernendum sit, brevissimo tempore id absolutum iri, atque adedò æquissimo tolerandum esse, si cum æterno & inexplicabili inferni supplicio comparatur, quod propter peccata sua sustinere debuisset, si DEUS ipsum perinde, ut alios ejusmodi peccatores vel statim post peccatum ex hac vita avocâset, vel in statu peccati obduratum discedere permisisset. Certè si illis, qui nunc ob minorâ peccata in inferno cruciantur, hæc gratia fieret, ut in hanc vitam redire, suâque delicta commertis suppliciis expiare possent, promptissimis, lætissimisque animis universa, quæ ullus unquam reus sustinisset, supplicia tolerarent.

☉ (0) ☉